

4^o Med.
1121

1121. *Med.*
M. D. S.

DISPUTATIO PHYSICO-MORALIS
DE
TEMPERAMENTO
PRIMI HOMINIS
IN STATU INTEGRITATIS,
QUAM
BENEDICENTE HOMINUM CREATORE,
ET
AMPLISSIMI SENATUS PHILOSOPHICI
CONSENSU
P R A E S I D E

GEORG. CHRISTIANO Berther/

PHILOS. M.

D. ~~XXXI~~. SEPTEMBR. M DCC IX.

~~XXI~~. H. L. Q. C.

DEFENDENDAM SUSCIPIT

JOHANNES BIEL, Schwartzburg. Thur.
S.S. TH. STUD. ET PHIL. BACC.



LIPSIAE,

TYPIS I MMANUELIS TITIL

S A N C T I S S I M O N U M I N I ;
D O M I N O
O M N I P O T E N T I S S I M O , M I S E R I -
C O R D I S S I M O , J U S T I S S I M O

D E O { P A T R I
F I L I O &
S P I R I T U I S .

D E O T R I N U N I , V E R O E T Æ T E R -
N O , O M N I U M R E R U M C O N D I T O R I E T
C O N S E R V A T O R I U N I C O ,
V I T Æ M E Æ P R O D U C T O R I E T R E N O V A -
T O R I , S A L U T I S M E Æ R E S T A U R A T O R I ,
D O M I N O M E O C L E M E N -
T I S S I M O &c. &c.

H A S E J U S C L E M E N T I A C O N S C R I P T A S
P A G E L L A S , T E N U E S L I C E T E T A B J E C T A S , I N
S U B J E C T I S S I M A A N M I D E V O T I O N E , E T P R O R E C U P E R A T A
S A N I T A T E E T L I B E R A T I O N E A M O R T E , M U L T I S Q U E A L I S ,
U S D E M Q U E I N N U M E R I S B E N E F I C I S , I N G R A T I E T D E D I T I
A N M I T E S S E R A M A C K P I T H P I O N S U B J E C T I S -
S I M E O F F E R T ,


D. D. D.

E T

P R O I M M E N S A C L E M E N T I A H U M I L L I M A S
A G I T G R A T I A S , E A N D E M Q U E P U B L I C E D E P R E -
D I C A T , A T Q U E U L T E R I O R I C L E M E N T I A E
D I V I N A E S E H U M I L L I M E
C O M M E N D A T

Univ Bibl
München

P R A E S E S .




MEDICARE DEUS SUMME!

PRÆLOCUTIO.



Apsus primi hominis damnum ineffabile perseniscunt omnes, & uitinam attenderent cuncti. Multi sibi plus fidentes se ipsos fallunt. Corpus enim suam labem patitur, anima binc & intellectus & voluntas egrotant, sic totus torus homo est corruptus: Modo ob intellectus imbecillitatem non attendit attendenda, modo prava voluntate impulsus arripit, quæ averanda erant, modo eandem ob causam male judicat: Nunc ad voluptates ob abundantes impellitur Spiritus, nunc particule pinguiores ejus ad honores avocant animum, nunc propter terrestres & salinas gravioresque sanguini intermixtas portiones cura, timiditate & insatiabili ditescendi vexatur cupidine. Mox eum moribus macerat, affectus inquietum reddit, & quæ sunt ineffabilia ferre lapsum secuta incommoda. Quæ cum ab Adamo longe afuerint, felici & beato sane gavisus est temperamento. QUOD hac in Dissertatione ulterius evolvemus, ejusque descriptionem, quoad probabiliter concicere licet, trademus. DEUS annuat modo nostris cæptis.



C A P. I.

Tradens explicationem terminorum.

§. I.



Uod per temperamentum variam sanguinis
alterationem & variarum particularum
mixturam intelligamus, quilibet facile vi-
debit: Eorum enim, qui terminum tem-
peramenti absque ulla causa abhorrent,
singularitatem luculentissime demonstra-
vi in *Diss. quam non ita pridem sub Prae-
sidio Viri nunc plurimum Reverendi DN.
M. Fleuteri hic Lipsiae de Philos. Medico
necessaria habni S. III. §. VI. & VII.* ita ut ulteriori explicatione ter-
minum hunc indigere non putemus modo, varias temperamenti species
adjecorim, quæ proximo in cap. sequentur.

§. II. Si primum nominamus hominem, nullum aliud quam A-
damum intelligimus. Hinc statim ab eorum discedimus opinione,
qui ante Adamum homines vixisse contendunt. Et non mirum est,
veterum Philosophorum plurimos de hominum creatione varias &
magna ex parte ridiculas fuisse opiniones: statuebant enim materiam
fuisse ab æternō, neque demum productam. Inter quos primus est
Thales Milesius, qui primum de Natura differuisse dicitur, & eandem
æternam asseruit. Quem Plato secutus de Deo optimas quidem foveṇs
cogitationes, materiam tamen aeternam statuit. Ipse Aristoteles hu-
jus accusatur erroris. Vid. *Kromayeri Theol. Pos. p. m. 203.* quanquam
alii illum mitigate aliterque explicent. Vid. *Soneri Comment. in Libb.
Metaph.*

Metaph. L. III. c. VI. p. 216. Epicurus uti Summum bonum in voluptate ponebat, & per hanc otium svave atque perpetuam requiem intellegebat; ita Deo illud ante omnia adscribebat: atque hinc Deum otio fruentem statuens mundum a se ipso ortum traxisse fingebat, luctantibus nempe ab æterno atomis, usque tum forma non unius, sed multiplicis orta fuerit mundi. Vid. *Thomas. de Exist. Mund. Stoic. Diff. II. §. 22. 23. pag. 30. seqq.*

§. III. Illud tantum dolendum, quod Christiani nomen gerentes non absimili quodam huic ethnicorum errori se inquinariint, & acriter defenderint, infinitis ante Adamum seculis extitis homines. Inter quos primas tenet PEYRERIUS, qui natione Gallus & religione primum Calvinianus fuit, dein coactus assumpsit Pontificiorū cultum, quamquam ut antea omnem dein religionem nihil habuerit, & vel Naturalistarum vel Atheistarum Sectæ adstiterit, quanquam externe se pontificium fuerit professus. Vid. die unschuldigen Nachrichten, anno 1703. pag. 825. seqq. & anno 1704. pag. 584 seqq. Et ipse Peyrerius in exercitat. super vers. 12--14. C. V. Epist. ad Rom.

§. IV. Statuit hic Peyrerius propagatorem Judæorum seu primum Judæum fuisse Adamum, non vero primum hominem: Hinc innumerabilis ante Adamum seculis homines gentiles longe plurimos fuisse assent. Vid. *Quensted. Synt. th. P. I. C. XII. d. Hom. S. II. pag. 513.* Quam suam hypothesis multis stabilire argumentis satagit, quæ insimul destructa possunt legi in *Diss. D. Fechtii de Præadamitismo recens re-crustato C. I. §. 19. seqq.* Plures cum Peyrerie facientes & ante illum heterodoxam hand opinionem foventes male ita vocatos Christianos Vid. in modo cit. *Diss. C. II.*

§. V. Et quanquam articulus de creatione mundi mere sit purus, adeoque ex sola revelatione constans: Ita, ut ex lumine naturæ mundi creatio, materiaeque initium sufficienter demonstrari nequeat; Vid. *Quensted. Synt. th. P. I. C. X. de Creat. S. II. pag. 419. Kromayer. Theol. pos. p. m. 206.* Plura tamen eaque robustiora in mundi creationem materiaeque initium extant argumenta. Deus enim omnium rerum creator, tanquam ens nobilissimum, uti in omnibus creaturis suis jure præcedere necesse est, ita hac prærogativa ut gaudeat necesse quoque erit, ut duratione præeat, adeoque, quoniam omnia in excellentissimo possidet gradu, æternitate gaudeat: Deus enim complexum omnium per-

fectionum perfectissimarum denotat. Dein ipsi Philosophi concedunt, nihil moveri a se ipso, materialia autem nisi moveantur, corrumpuntur; Motor itaque prior ipsa materia movenda necessario sibi est concipiendus: Sequitur exinde, materiam Deo non esse coeternam, sed ab eo productam & motu donatam. Qua in sententia cum praeterea Sacer Codex nos confirmet, & claram nobis de mundi creatione & Adami primi hominis productione descriptionem tradat; non est cur ab eo discedamus, aut Sacram Scripturam cum Peyerio hujusque aseclis sine causa torqueamus; quinimo cum eodem & Spinoza aliisve pretiosissimæ Scripturæ S. *avðeñjāv & ðeotvēuſjāv* denegemus, quam nec Beelzebub denegare valet.

§. VI. Status integratatis est nobilissima & egregia illa conditio, qua homo ante lapsum gaudebat, quæ summa & corporis & animæ involvebat perfectionem. Quod etiam ipsum denotat vocabulum; nihil enim deerat homini, omnia, quæcunque desiderare poterat, uberiori in copia possidebat: Intellectus clarus, & ad percipiendā quæcunque & ratiocinandū valde erat idoneus, voluntas nil nisi vera appetebat bona; Corpus egregia præditum erat constitutione, nec in eo tam vehementes excitabantur motus, qui affectuum nomine veniunt, & ad mentem penetrantes illam inquietam reddunt, corpus uno verbo egregiam ob suam constitutionem nullam plane animæ inferebat noxam, hinc summa in anima inveniebatur quies & svavissima semper cum corpore harmonia. Ut itaque summo jure status possit vocari integratatis, qui & innocentia a Theologis nominatur status.

§. VII. Quadruplex alias apud Theologos est status hominis: Integritatis nempe, de quo modo diximus; transgressionis, reparacionis & glorificationis: Quos alii aliis insigniunt denominationibus, vocantes statum confectionis, defectionis, refectionis & perfectionis; vel naturæ institutæ, destitutæ, & restitutæ, quam ultimam μερικῶς in hac & ἀλικῶς in futura vita esse ajunt. Vid. Kremayer. in Syst. tb. L. VII. de imag. Dei pag. 147.

§. VIII. Ad nos pertinet status integratatis, reliquos siquidem ad nos non spectantes inexplicatos relinquentes. Descriptimus autem cum in §. 6. quod nempe sit egregia & nobilissima conditio; non autem Essentia hominis, alias homo non amplius homo esset; mutata enim Essentia mutatur ipsa substantia; ast homo etiam post statum integrati-

tegritatis mansit homo; ex eo sequitur, quod privatus fuerit aliqua qualitate & conditione nobiliori, non autem ipsa sua Essentia seu Natura. Vid. *Quensted. Syt. tb. C. i. d. imag. Dei S. II. Quest. IV.*

§. IX. Quid per lapsum intelligam sponte fluit, & licet ex natura non pateat, ita tamen ex revelatione notum est, ut tempus ejus descriptione terere inconsultum judicem: An enim lapsus descriptio in Genes. proposita proprie, an vero hieroglyphice debeat intelligi, id ad me determinandum non pertinet. In Perfectione autem consistebat similitudo, qua conditorem suum referebant Protoplasti: Ex eo quoque status integritatis denominationem imaginis Divinæ accepit. Deus enim ens est perfectissimum, de quo ejusmodi sperandi sunt efficiens; nam licet hominum perfectio non attingebat creatoris perfectionem, merito tamen eam obtinebat denominationem, siquidem homo qua homo nil amplius poterat desiderare, quod bene observans Diabolus illis appetitum ad Divinam imprimebat perfectionem: Quæ omnia clare constant ex revelationis lumine.

§. X. Satis itaque, ut puto, explicatis vocabulis mihi incumbit, ut ipsam suscipiam tractationem, & primo de temperamentis agam in genere, eorundemque differentiam adjiciam, prout nunc nimurum in hominibus inveniuntur, & deinde ipsum Dissertationis nostræ attingam scopum & videam, an aliqua eorum specie prædictus fuerit primus homo, nec ne, & an plane diversam a nostra habuerit Sangvinis constitutionem. Faxit DEUS feliciter!

CAP. II.

Agens de Temperamentis in genere.

§. I.

OMNIA, quæ in hoc mundi theatro invenies, reperies mixta, suisque diversis particulis constantia. Sic quatuor communiter statuuntur elementa; quanquam alii eadem atomos appellare malint, & quoad numerum valde inter se discrepant. Sic multi unicum, v. g. Thales Milesius & cum eo ex recentioribus Joh. Baptista van Hellmont Aquam, Heraclitus ignem, Diogenes Appollonates Aërem, Hesiodus terram statuit. Ast bene viderunt alii, mixta omnia esse, & ho-

& homogeneis uniusque generis particulis minime constare mundum: Hinc duo assumferunt elementa, ex quibus Parmenidem & Danæum nominare sufficiet. Nilque obstat, quo minus ad ternarium elementorum numerum statuendum se applicerint quidam, ex quibus si Cartesium, cui similem Philosophum nescio, allego, multos insimul cum eo nominavero. Vid. b. d. r. Cartes. Part. III. n. 47. seqq. Ubi primum elementum materiam subtilissimam, ad quasvis figuratas aptam perpetuoque motam vocat: secundum per globulos definitæ parvitas, exacte rotundos & solidissimos definit: & tertium materiam esse constantem & non adeo mobilem dicit.

§. II. Harum opinionum uni aut alteri calculum adjicere, nostrum jam non est, contenti potius, si demonstraverimus, uti mundum, ita quoque hominem, imo corpus humanum partibus non constare unius generis seu homogeneis. Quod ad hominem attinet, scimus, eum constare duobus principiis, uno nobiliori, altero minus nobilio-ri, qua de materia abunde satis egit in Disp. in initio hujus *allegat*: ita, ut si ejus tractationem hic susciperem, cocta recoquerem. Sufficiat itaque hoc loco probasse, corpus quoque non constare principiis constitutivis simplicibus, sed variis maximeque diversis. Si enim corpus humanum quinimo Sangvis homogeneis constaret particulis atque principiis; unde tanta naturarum diversitas, morborum contrarietas; unde Humores orerentur tam diversi; unde Sangvis rubrum, bilis flavum, lac album haberet colorem; unde intestinus dependeret motus? Videmus enim homines quoad corpus, & Massam quoque Sanguineam maxime inter se differre; quinimo in habitu adeo esse dissimiles, ut quidam obesiores sint macilentis aliis, quod non nisi a copia pinguedinis aut acrimoniae dependet, quæ particulae, pingves nempe & acres valde sunt discrepantes & sibi absimiles, imo contrariae: Ex quo evenit, ut alii in morbos obesitati obvios; alii in affectus his contrarios & tabiosos incident. Sic videmus diversos in Sanguine secerni humores, ut nil dicam de differentia laudabilium & illaudabilium, inter ipsos laudabiles summa extat differentia, adeo ut aliam plane naturam habeat lac, quam quidem Semen, quos tamen humores eundem ob finem produxit benigna natura. Ex qua variarum particularum & humorum, qui insunt Sanguini, mixtura oritur color rubicundus, qui merum est accidens, & ab hac mixtione dependet, ac pro varia particularum

cularum admiscela & temperatura valde variatur. Hæ diversæ mixtæ particulæ ob diversitatem semper sibi invicem reluctantur, quæ perpetua particularum reluctatio a Medicis motus sanguinis vocatur intentus, a quo Humorum secretiones maximam partem ortum trahunt. Vid. *Diss. c. d. Philos. Med. necess. S. III. § VII.*

§. III. Suffragatur nobis Medicorum Parenis Hippocrates, dum dicit: Si unum homo esset, aut si unum saltem illius foret temperamentum, nunquam doleret, neque enim esset, unde doleret, si unum esset: Omnis enim morbus inde existit, si quatuor qualitatum una modo excederit. Deinde necessarium quoque est generationem hominis non processisse ab uno: Quonam enim pacto, quod unum est, generare alterum posset, nisi cum alio commisceretur. Vid. *Hipp. in Op. S. III.* Nec decedit huic opinioni Magnus Ettmüllerus, afferens, totum corpus humanum materialiter esse compositum; id quod confirmat resolutio ejus Mechanico-Chymica. Hoc explicans pergit: Nostrum corpus conflatum est ex particulis, ejusque primaria pars, in primis Massa Sanguinea; cujus particulæ mediantibus corpusculis Salinis in continuo fermentationis sustentatae motu, & ab inspirato sulphure rerefactæ & resolutæ, seu, ut vocant, volatilisatæ, calorem concipiunt per totum corpus sensibilem, vulgo vitalem dictum. (de quo dixi in §. præcedenti) Vid. *Incomparabilis Ettmüllerus Inst. Med. d. princip. corp. n. C. II. p. m. 64.* Quæ omnia satis superque probant; Sanguinem corporis humani non constare particulis homogeneis, sed variis, iisdemque diversis, uti ex supra dictis atque egregiis allegatis verbis videre est.

§. IV. Cum itaq; fluor corporis humani universalis seu Sangvis diversis constet particulis, variisque principiis constitutivis, mixtura opus est; quæ mixtura quoad particularas constitutivas Sanguinis in qualitate consideratas in omnibus hominibus est eadem: Omnes enim homines gaudent particulis Spirituosis, volatilibus, oleosis, biliosis, salinis, terrestribus atq; aquosis: Differt tamen hæc particularum mixtura quoad quantitatem; ita ut in hoc subiecto plures sint particulæ Spirituoso-volatiles, in alio oleoso-biliose abundant, in alio salino-terrestres prædominentur, in alio denique limpidae seu serosa copia cœteris præeant. Atque hæc particularum constitutivarum mixtura generali temperamenti nomine insignitur. Vid. *nostra cit. Diss. in l.c.*

§. V. Quadruplex autem potissimum hæc statuitur mixtura sese temperamentum : Sangvineum , Cholericum , Melancholicum & Phlegmaticum ; quanquam in pura sua consistentia, atque sine intermixtione inter se invicem facta minime inveniantur ; a prædominio tamen, quod unum alterumve exercet, ita vocantur.

§. VI. Temperamentum itaque Sangvineum est ea Sangvinis constitutio & crasis, in qua particulæ Spirituoso - volatiles abundant. Bene tamen distingendum est a Plethora seu simplici Sangvinis abundantia Temperamentum Sangvineum. Quanquam enim non negandum ad Plethoricum habitum omnium maxime inclinare Sangvineos, præcipue ubi phlegmaticum ad illud proprius accedit : Interim tamen non negandum, & Cholericos & Melancholicos sangvinis interdum laborare abundantia, licet non adeo rubeant ; turgent tamen vasa & sangvine nimis sunt plena. Sicut itaque Phlegmatici ad colligendam pinguedinem & contrahendam obesitatem, in primis tibi sangvis concurrit, cœteris omnibus sunt proniores ; eo ipso tamen reliquis potentia obesitatē contrahendi minime est deneganda, sed & Melancholicis, in eo, præsentibus circumstantiis ad illam facientibus, Cholerics concedenda, quanquam hi ad obesitatem non adeo facile inclinent : Ita Sangvinei ad recipiendam plethoram cœteris sunt aptiores, licet iisdem illam non abnuamus.

§. VII. Per Cholericum Temperamentum intelligimus eam Sangvinis constitutionem & crasis, in qua particulæ oleoso - sulphureæ seu biliosæ præ cœteris observantur. Notanda tamen est, observante hoc Incomparabili Strablio in Disp. d. Temperament. C. 1. fol. 3. Veterum hoc in passu diversitas, ubi bilem, quam in temperamentis hisce arguunt, non excrementitiam istam intelligunt, quæ e folliculo intestina exprimitur, sed aliud quiddam, Sangvini magis intrinsecum, quod autem nihil aliud esse potest, nisi pinguis portio, quam Sulphuream alii vocant, & non in pinguedine aliqua crassa consistit, sed subtili & volatili : Uti enim olea destillata in foro chymico præter suam oleositatem atque pinguedinem insimul sunt acria atque volatilia; ita hæc quoque constituta est Sangvinis portio. Quæ non modo tenuem & floridum reddit ipsum Sangvinem ejusque motum & fluxilitatem, tum etiam incalescentiam primo & primario promovet : Sed etiam seorsitatem Sangvinis, quæ nempe e dissolutione Sangvinis resultat, non modo

modo minus spissescere permittit in phlegmatico-pituitosam consistentiā, verum etiam acido-spissescētē illius, aut lymphae quoque deturpationem seu melancholiā agilitate sua antevertit & corrigit. *Qua ultima verba legere licet in Disp. mod. cit. Stab. l. c.*

§. VIII. Melancholicum Temperamentum nobis denotat Sanguinis constitutionem spissam atque crassam, seu eam Sangvinis crasis, in qua particulae ponderosae, terrestres, in majori praeter ceteris copia praestato sunt, inde sit, ut ejusmodi personae nebulosae, ut ita loquar, & obscurae sint mentis, tardi, meticulosi & ad resolutionem minime prompti, & qui sunt plures hujus Sanguinis effectus, de quibus infra brevibus dicemus. Hic Melancholicorum Sangvis respondet consistentia sua spissiori temperie fibrosarum partium, siquidem & ipse crassio, est, italoqvente Stablio l. c. fol. 13.

§. IX. Phlegmatico denique Temperamento ea indigitatur Sangvinis constitutio, ubi aquosa & ferosa portio abundat, quae efficit, ut pigri & ad labores minus apti sint ejusmodi personae, faciem habent pallidam, pinguem habitum, & extensam ac quoad externam formam robustam corporis constitutionem; facile tamen possunt vinciri & se vincere libentius patiuntur, quam ut pugnæ diu inhærent, laboribus infensissimi sunt, nilque magis quam quietem amant, eamque sectantur.

§. X. Nunc ipsum Disputationis nostræ nervum attingemus, vi dentes, an unum temperamentorum modo descriptorum quadret temp eramento Adamitico; an vero Adam plane diversum ab his omnibus habuerit temperamentum.

CAP. III.

Exhibens præliminaria nostræ opinionis.

§. I.

Bene tamen notandum, quod in hac Disputatione minus simus solliciti de qualitatibus, quas aliqui corpori Adami adscribere satagunt. Sic quidam Adamum Androgynum fuisse statuiunt, Vid. *Tb. Broune de Relig. Medic. §. XX.* atque sic eum, nisi peccasset vixisse in Paradiso terrestri sine prole in perpetuum. Vid. *Tb. Hobbes in Op. Philos. C. XXXIX.* Sic alii Adamum Gigantem pronuntiant, omni-

busque magnitudine, corporisque mole præcessisse illum evincere student. *Evolv. Genebrardi Chronol.*: Sic iterum alii corpori Adamitico splendorem tribuunt, ita ut ex materia coelesti corpori Adamitico aliiquid sit admixtum, quod corpori ejusdem lucem concederit. Vid. *Obs. Hallens. T. IX. Obs. VI.* Sic denique nonnulli statum integratatis ita evehunt, ut Adamum summis in eo præditum fuisse perfectionibus perhibeant, ita, ut si in eo permanisset, eum non ad gloriam provehendum, nec majoribus dotibus fuisse exornandum credant. Vid. *Burmanni Synops. T. I. L. III. §. 3.*

§. II. Ast hæc omnia siquidem ad me non spectantia sine adjecto calculo dimitto. Neque etiam adeo curiosus sum de qualitatibus, quas Philosophorum & Theologorum plurimi Adami corpori adscribunt; de impossibilitate & immortalitate ejusdem; quarum illa bene explicanda, ita ut per eam non omnis sensus intelligatur abolitio, nec absolute vulnerationis impossibilitas; sed a morbis & affectibus morbificis præmunitio atque securitas: Hæc vero (immortalitas) corpus quoque penetrabat, ita ut ejus crasis atque vitalitas perpetuo sineque interitu durasset, neque ulla a causa læsa fuisset.

§. III. Hæc tamen Distinctio observantibus Theologis, bene animadvertenda, quod homo integer potuerit non mori, non vero, non potuerit mori, quod Theologi futuræ vita adsigniunt. Ut hi simili etiam modo distingvunt inter posse non peccare, & non posse peccare. Vid. *Kromayer. tb. pos. p. m. 157.* Ac licet ad perfectionem Adami summe necessaria fuerit immortalitas, ita ut sine obstaculo & interruptione semper potuisset Divinam admirari excellentiam: Fuerunt tamen nonnulli, qui & eam Adamo plane abnegrarunt, per mortem, quam comminatum erat Divinum Numen, ni observarent ejus mandatum, atque ab esu pomi vetiti abstinerent; aliam mortis speciem, imo hanc insecuram calamitatem intelligentes, atque ad ipsum a Deo propositum argumentum provocantes, *Genef. nimirum III. v. 19.* quod eam ob rationem moriendum sit homini, quoniam de terra sit sumptus, non vero propter peccatum putantes. Quales sunt Pelagiani, Arminiani & Calvinianorum quidam. Vid. *Keckermann. L. I. Syß. theol. C. II.* potissimum autem Sociniani Vid. *D. Bechmann. Theol. Polem. L. IV. de Imag. Dei Controv. II. pag. 320.*

§. IV. Mitto has quoque corpori Adamitico plerumque adscri-
ptas

ptas qualitates & super has motas controversias sine singulari iudicio atque censura, mei potius memor debiti, ut jam exponam, quoniam temperamento gavisus fuerit Adam; an Sanguineo, Melancholico, Phlegmatico, aut Cholerico, utrum vero plane ab omnibus aberrans habuerit temperamentum.

§. V. Antequam vero ipsam fuscipiam tractationem, præmonendum judico, quod cum thema hoc valde sit intricatum, atq; absconditum, ita, ut probabiles modo h. d. r. liceat producere opiniones, atque argumenta a me apodictica atque robusta expectari nequeant; benevole H. L. quæ in hac rerum obscuritate proferre potui, accipiat, aut probabiliorem sententiam proponat. Quod feliciter me obtentum spero; cum ne rigor quidem, quo Magnis. Fecht. *in Diff. cit.* Observatorem Hallensem, corpus Adami lucidum statuentem perstringit, quod suo loco relinquo; meum propositum tangat, illud potius excusat; dicit enim C. I. § 6. Ex imaginis Divinæ statu deducendæ sunt omnes primi hominis perfectiones, utpote elegantia faciei, temperamenti vigor & similia, quod constat, quia sine illis ea, quæ ad ipsam imaginis essentiam pertinent, ut notitia rerum divinarum eminentissima, & amor DEI intensissimus, feliciter exerceri non potuissent. Formosam faciem primo homini adscribendam probat idem *L. in cit. Diff. all.* de qua nos quoque infra, quamquam brevissime, dicemus.

§. VI. Firmissimo axioma, quod effectus testetur de sua causa, nititur fundamento, & vice versa, atque cum DEUM existere, illumque esse ens perfectissimum, absque eo omnia, ita quoque homines dependere, ipsa agnoscat ratio sibi relicta: Sequitur infallibilis sequela, nuda etiam ratione homines tali conditione calamitosa minime conditos esse, posse comprehendi.

§. VII. Ast hæc calamitas in corpore primo & primario se exercit, sedemque ibi habet, & ab eo demum ad animam pertingit: Tota enim hominis corruptio dependet a corruptione corporis, quæ propter intimum animam inter ac corpus commercium efficit, ut anima insimul patiatur, & sympathice ægrotet. Liceat itaque a plurimorum Theologorum opinione abire, qui πρῶτον δευτέρον ponunt in anima, putantes, quod anima a corpore, tanquam nobilior ab ignobiliori, non possit corrumpi: Respondeo, interim tamen in agendo

impediti. Et uti Sol in se atque re ipsa nunquam obscuratur, obscuratur tamen ab ignobiliori, luna nempe illum inter ac terram intercedente; ita anima, tanquam Spiritus, cuius essentia in homogeneitate atque simplicitate consistit, non potest totaliter alterari, maculasque contrahere; bene tamen ejus excellentiae possunt a corpore quasi obtundi. Se extricare quidem querunt, corruptionem per moralem explicantes; ast corruptio moralis nil aliud est, quam defectus cuiusdam requisiti; & dum hoc modo stabilire suam hypothesisin nituntur, meam corroborandi occasionem tradunt: Minime enim nego; potius ambabus contendو manibus, corruptionem animae esse moralem, alias caderet quoque mea hypothesis; & esse defectum requisitarum excellentiarum antea possessarum; hęc autem corruptio moralis ab aliquā re dependeat necesse est; sed dependet a nulla alia re, quam a corpore: Non enim ab ipsa anima, alias positiva aliqua in ipsa anima facta requireretur corruptio, quam tamen ipsi negant, & ipsi Theologi concedunt, quod peccatum originale non sit aliquid positivum. Ita enim ipsa Formula Concord. describit ejusmodi peccatum, quod sit per omnia totalis parentia, defectus seu privatio concretae in Paradiso justitiae originalis seu imaginis Divinæ. Et non video a quanam alia privatio hęc possit derivari causa, quam quidem a corpore, quod primario est deperditum, omnemque contraxit corruptionem, quę corporis corruptio, animam suis excellentiis atque perfectionibus privat, i. e. eidem obest, quo minus easdem rite & legitime possit exercere.

§. VIII. Et miror, cur hoc nolint concedere, cum tamen propensiones hominum a temperamentis i. e. Sangvine & quidem rectissime derivent. Propensiones autem illae nil aliud sunt quam voluntatis morbi. Si itaque voluntatis morbi a corpore dependent, quidni intellectus? Quod tamen apertissime videmus; Melancholicos foecundo non gaudere ingenio, Sangvineos adeo felicem non possidere memoriam &c. Miror itaque, cur egregia hac in parte Stoicorum opinioni adeo sint infensi: Quę tamen idem docuit, quod anima nimis in se suaque natura sit pura atque incorrupta; impedita tamen, quo minus excellentiam suam possit pro lubitu exercere a corpore, quod eidem obest, atque in agendo semper obicem ponat: Quanquam Stoici deinde sanę rationis limites excederent, atque propterea in-

avtoxeipias approbationem inciderent. Ex quo patet, hanc opinionem non esse novaturientem; cum Lombardus quoque jam tum suo tempore eandem docuerit, qui ita scribit: *Quod anima pura a corpore impuro fædetur atque conspurcetur, ut ita conjunctio animæ cum corpore, peccatis infecto, causa sit peccati, in anima hærentis.* Vid. *Meisn. Philos. Socr. S. III. C. VI. p. m. 912.*

§. IX. Me quidem non fugit, hic statim objici, quod DEUS hac ratione injuste agat, quod animas hoc modo puras & infontes in ejusmodi ergastula, corpora nempe impura intrudat, & quasi incarceret. Ast respondeo, quod hac objectione & fallaciam falsi & petitionem principii committant: Neutquam enim sunt innocentes animæ, & cum illæ æque ac corpora in DEUM peccarint, puniuntur quoque a DEO: Totus enim peccavit homo, qui totus quoque puniendus. Et hoc minime ab illis poterit evinci, quod ille injuste agat, qui & in animas puras poenas exerceat legitimas.

§. X. Præter adducta haec tenus argumenta, urgent me adhuc graviores rationes ad hanc amplectendam hypothesin: Mors nempe, quæ illorum consensu pena erat peccati, necessario etiam penetrare debuisset animam, quoniam totus homo peccavit, ast videmus, quod mors in corpore quærenda, cuius Causa efficiens semper in eodem posita est, & tota mortalitas in corpore subsistit; anima tamen subinde patitur; angitur enim post mortem perpetuo se iterum uniendi cum corpore desiderio & appetitu, quanquam persistere possit post mortem sine calamitate aliqua, quinimo ejus functiones (cognitiones intellige) liberius exercere. Si autem animæ labem aliquam contraxerint, hoc certe non posset procedere: Nam mutatio & restauratio deperditæ imaginis tunc demum expectanda, quando corpus & anima iterum uniuntur. Urget me denique ad hanc statuendam hypothesin, quod per eam creatio animarum clara atque lucida fiat, & non ophus habeamus, animarum originem a traduce deducere, quem terminum quidem nominant & explicare student, ast si & terminus & ejus explicatio aspiciatur, non possunt se ex obscuritate expedire; sed semper aut obscura aut impossibilia proferunt. Hoc enim mihi nullo tempore persuadere potero, immaterialia cum materialibus coramisci & traduci, imo Spiritum creatum posse producere effectum sui similem; Spirituum enim hoc negotium non est. Et uti e terra totus homo

homo non erat creatus, sed opus erat inhalatione Divina; ita in generandis hominibus opus est creatione Divina animarum; quæ an jam dum plenarie absoluta, an quotidie adhuc succedat, jam non determinabo. Dein Philosophorum consensu; omne generabile est corruptibile, jam si anima generabilis, esset quoque corruptibilis. Hoc autem robustissimum, quod anima a DEO creat, argumentum est contra eos, qui mortalitatem animæ ascribunt: Et non video hoc dimisso arguento, quoniam alio eos admodum stringere liceat.

§. XI. Objiciunt quidem Traduciani: Sich homo non propagabit hominem; sed exanimem massam, adeoque deterioris erit conditionis, quam bruta & plantæ: Ast quæ, qualis, quanta? Num enim bruta producunt animas rationales, ut homo, qui hoc præstare non potest, deterior esse debeat? Dein proprio gladio eos jugulabo: Statuunt nempe: triplicem esse animam, omnemque in homine inveniri; Vegetativam, Sensitivam & Rationalem: Concedo autem priores duas species propagari ab homine, ultimam vero a DEO superaddi: Num hoc est exanimem massam procreare? Instas porro excipiendo, quod nempe anima Vegetativa & Sensitiva a rationali dependeant; Hoc est quod absolute nego: Nam si anima Vegetativa & Sensitiva, aut ut melius rem exponam, facultas subsistendi & sentiendi ex legitima partium harmonia resultantes dependent ab anima rationali, quomodo bruta, quomodo plantæ possent subsistere, quomodo sentire; quæ anima nempe rationali sunt destituta? Atque hæc est causa, cur cum Excellentissimo Ortlobio vitam ab anima dependere negarim; quanquam DEUS animam (subintellige secundum tuam hypothesin rationalem) durante hominis vita adesse, finita eadem momentanea secedere ordinaverit. Vid. *Ortlob. in Diff. Phys. Pref.* Et ne putas contra revelationis nos impingere lumen, quod ipsam vitam in Sangvine ponit, & homines cum brutis quoad mortem conuenire afferit, *Levit. C. XVII. v. n.*
& 14. Kobel. III. v. 19.

C A P. IV.

Proponens opinionem nostram de
integri hominis Tempera-
mento.

§. I.

EX quibus itaque dictis facile est colligere, corpus primi hominis aliter alteratum, & a nostris magna ex parte diversum extitisse, & nobiliorem præcipue ejus partem, nempe Sangvinem excellentiorem quam hodie habuisse constitutio-nem; ita, ut non vereamur affirmare: Primum hominem excellentissimo necessario gavisum fuisse temperamento. Cum autem varias adhuc posideamus perfectiones, licet valde im-minutas, quæ scintillulae imaginis Divinæ vocantur; nostrum erit videre, an unum e nostris temperamentis in præcedenti Cap. explicatis aliqua ex parte quadret temperamento integri hominis, licet illud excellentiæ gradu non attingat.

§. II. Sponte itaque fluit, quod hac ratione necessarium sit, egregium sibi concipere temperamentum in primo homine, quod ejus animam in nullo obeundo negotio per-tubarit, aut impediverit, nec ulla eidem molestias creaverit. Adeoque statim examinandum erit, an aliquod e nostris tem-peramentis temperamento primi hominis in statu integratatis constituti aliqua ex parte se adaptari patiatur, & quodnam idcirco e nostris temperamentis sit optimum, naturæque status integratatis simillimum.

§. III. Omnibus autem evitatis ambagibus Sangvineum temperamentum pro optimo agnoscimus. Hoc enim tem-peramentum definiunt, quod sit illud, ubi omnium (particu-larum Sangvinem constituentium) justa temperies cum rubi-cunda Sangvinea portione præsto est. Sanguineumque, omni-um optimum, imo legitimum statuant esse temperamentum.

Vid. *Stabli in Differt. de Temper. C. I. fol. 3.* Et quidni optimum censeatur; tantis enim incommodis, quibus reliqua temperamenta, onussum minime est, omnium potius liberrimum, & Naturæ primæ maxime consentaneum.

§. IV. Perlustremus enim aliquantisper reliqua recensita temperamenta, & tum videbimus sua pati incomoda. Cholericum, quod tamen post Sanguineum optimum, & cum eo conjunctum omnium excellentissimum habetur, motum sanguinis nimium habet: Hinc ignei sunt cholericci, impatientes, inquieti, gravissimis semper se obruunt laboribus, nimis sibi confidentes aperta pericula, in quibus saepissime inimicum experiuntur fatum, adeunt: Hicque nimius Sanguinis motus efficit, ut corpus morbos facile contrahat, haemorrhagias pariat, aliasque humorum effluxus, qui vita finem saepe imponunt, producat; anguntur præterea honoris stimulo, vanaque ambitione vexantur, & invidia torquentur.

§. V. Melancholicum temperamentum, si mentem apertam reddere debeam, omnium miserrium judico. Intellectus enim Melancholicorum stupidus quasi est, & licet eundem multa opera perpetuoque studio aptiore reddiderint; longo tamen temporis tractu opus habent, priusquam aliquid rite percipient, accurate persistent & judicium forment: Ut taceam illorum animas desiderio multis occupandi res semper angi, nullisque divitiis licet maximis contentos esse, sed semper plures desiderare, neque iis, quas jure possident, legitimo modo frui. Corpus interim melancholicorum ob nimiam curam enervatur, emaciatur, suisque viribus destituitur: Obstructionibus itaque atque lypothymis praे aliis sunt expositi.

§. VI. Et quid dicam de phlegmaticis, hi neque vigent ingenio, neque vigore cupiunt, labores fugientes sibi ipsis non adeo libenter inserviunt, multo minus aliis officia exhibent. Hos quodque aggrediuntur, tædet, neque ullo alio, nisi quiete delectantur. Corpus interea catarrhis vexatur gravissime, atque morbis apoplecticis omnium maxime sunt dediti.

§. VII.

§. VII. Sanguineum contra temperamentum, licet nostro in statu corrupto multis scatent imbecillitatibus: In hoc enim rerum statu imperfecto perfecta expectari neutiquam possunt: Multis tamen præ aliis gaudet prærogativis excellentioribusque donis, quæ in corpore ac anima invenienda recensēbo. Quoad corpus Sanguinei optimi sunt habitus; vegeti, alacres, sanissimæ constitutionis, contagii non adeo obnoxii, morbos propter excellentem Sanguinis naturam abundantesque vires non facile contrahentes; hinc longævi, & nisi pravæ juventutis libidini adeo indulserint, in decrepita sæpe senectute adhuc sani, imo negotiorum capaces. Pollent præterea forma faciei pulcherrima, suavissimaque prædicti sunt formositate. Neque adeo facile senescunt rugasque contrahunt. Ingenio gaudent incomparabili, alaci, prompto & ad quæcunque idoneo. Et non est, cur acutum illis denegare velimus judicium: Certe, modo sibi præponunt, egregie satis judicant, & nisi præcipitantia abrepti acutissima formant judicia. Animo semper sunt tranquilli, quieti, indiferentes, pacifici, incurii, fatis cedentes, & ab affectionibus, si amorem excipias, non adeo perturbantur. Ipsæ solidæ Sanguineorum partes tanquam summa cum industria a natura præ aliis elaboratae videntur, ex quo evenit, ut, qua de re supra diximus, elegantes & formosí satis sint.

§. VIII. Putandum tamen non est, ac si Sanguineorum maculas atque imbecillitates his velim negare, omnemque eos tangentem incommoditatem removere. Per præcipitantiam enim infelices sæpe evadunt, Voluptatis stimulus eos non parum vexat, & eidem indulgentes adversari sæpiissime experiuntur fortunam. Meum tantummodo non est, temperamenti Sanguinei incommoda recensere; Sufficit, si illud coeteris præcellere demonstraverim. Hoc enim supra monui, imperfecta omnia esse, licet quædam imperfectiora sint coeteris, quod & in temperamentis videndum.

§. IX. Ast ne hæc solus asseruisse videar, audiatur Celerissimus Stahlius in *Diss. cit. C. III. fol. 6.* Qui postquam va-

ria de temperamentis protulit, in hæc erumpit verba : Ex hisce temperamentorum varietatibus maxime quasi naturale & optimum censetur Sanguineum, non quidem propterea, quia calidum & humidum ; quod ex præjudicio potius aliquo natum est, quasi calor corporis essentiale quoddam & a priori requisitum, imo principium corporis humani sit. Sed est utique hoc temperamentum propterea reliquorum utilissimum, quia ad omnes motus, progressus, transitus, incalescentiam, secretiones liberum & expeditissimum existit. Hæc confirmat idem *C. VIII.* dum sic loquitur : Sangvineum sic dictum temperamentum optimum ex omnibus esse, semper crediderunt Medici; Et illud quidem ab experientia, non abludente interim ratione, quam *H. L.* inventet l. c. atque in eo breviter consistit, ut habeant, qui hujus temperamenti sunt, primo sanguinem moderate dilutum, secundo poros partium satis laxos, indeq; partes turgentes & velut distentas ; tertio vasa sanguifera tanto tenaciora & angusta. Et alio loco dicit, quod in Sanguineo corporis habitu ad primum & quasi fundamentalem (i. e. maxime naturalem) simulque perpetuum actum, motumque Sanguinis plena facilitas & expedita libertas præsto sit, ut neque eximius, & specialis impetus, sed moderatus, & si quisquam dici meretur ordinarius gradus impulsoris facile sufficiat.

§. X. Ipse Hippocrates nostris adstat partibus, inquiens : Opinor omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre quam Sanguinem ; qui ergo in constanti habitu persistit, consistit & prudentia; Sanguine vero permutato, concidit etiam prudentia. Vid. *Hipp. L. d. stat. §. 20.* Affirmat hæc Democritus in *Ep. ad Hipp.* Augescit intelligentia præsenti sanguine.

§. XI. Optimum itaque temperamentum Sanguineum esse probavissimus : Supereft, ut videamus, an se statui integritatis adaptari patiatur. Quod si præstiterimus, & illud aliquam ad eundem habere proportionem demonstraverimus, non decidunt, qui primum hominem Adamum Sanguineo gavisum fuisse temperamento nobiscum probabiliter conjicient. §. XII.

§. XII. Percurramus autem integri status felicitates & quo-
ad corpus, & quoad animam. Corpori autem adscribunt, ut
supra monuimus, impassibilitatem & immortalitatem, & expli-
cavimus impassibilitatem, quod per illam a morbis præmunitio-
nem intelligent, & hanc non a splendore ac luce, qua præditum
fuisse corpus Adamiticum evincere student; Vid. *Obs. Hallens.*
Tom. IIX. Obs. VI. §. 5. sed alia plane causa ortum traxisse statim
dicemus: Diximus quoque, quod nullum temperamentum San-
guineo sanitatis sit tenacius; quod neque facile contagia recipiat,
neque morbos contrahat, & id quidem propter excellentissimam
Sanguinis crasim, Spiritus abundantes, particulas volatiles, quæ
corruptionem aliquam se insinuare non facile permittunt, & cor-
pus a multivariis præmuniunt morbis. Deinde quod ad immor-
talitatem corporis attinet, nullum convenientius quoque ad ean-
dem putamus temperamentum, quam quidem Sanguineum, &
illud ob evcrasiam Sanguinis modo descriptam, motum suavem
ac moderatum, & partium solidarum æque ac fluidarum egre-
giam constitutionem, illarumque accuratam harmoniam, quam-
vis aliter quam nunc debuerit esse comparatum atque constitu-
tum, qua de re si colophonem huic labori imposituri sumus, ad-
huc paucis dicemus.

§. XIII. Formositatem faciei ac ejusdem svavitatem adscri-
bunt quoque merito primo homini in statu integro constituto.
Monuimus autem in superioribus, quod Sanguinei formositate
faciei ac membrorum pulchritudine & proportione omnes præ-
ant; quoniam nempe in Sanguineis elegans admodum membro-
rum est constructio, lineamentorum delineatio svavis a pro-
portionali muscularum structura dependens, & partium accura-
te sibi correspondentium harmonia. Calorem habent ruben-
tem, albo intermixtum, propter egregiam Sanguinis & Lymphæ
constitutionem. Non sunt emaciati, neque adeo pingves:
Sed optima plerumque gaudent proportione. Propter tran-
quillitatem animæ, de qua postea, semper hilares sunt, & rarissi-
me faciem acerbam ostendunt: Hinc non facile rugas contra-
hunt,

hun, quæ faciem deformant, ejusque svavitatem adimant, ex quo evenit, ut dicant, man sieht ihm sein Alter nicht an. Ut taceam alia sanguineorum formositatem augentia.

§. XIV. A corpore ad animam transeamus. Ingenio autem elegantissimo vigebat Adam, quod ex appellatione animalium luculenter constat. Gaudebat summa intellectus claritate, & felicissima memoria. Egregium quoque possidebat judicium: Quod autem profundo adeo judicio non fuerit, & pessimum præcipitantia impulsus formarit judicium, Lapsus proh dolor nos luculentissime edocet. Et quodnam temperamentum Sanguineo melius se hisce propositis accommodari patitur? Sanguinei, omnibus adstipulantibus, sunt ingeniosissimi, celeritate cogitandi & optima imaginandi facultate prædicti. Quod autem, quæ de re suprà locutus fui, judicium seu potius ejusdem acumen illis denegare velint Philosophi, id inde oritur; quoniam præcipitantia abrepti illud rarissime exercent, rem potius aut plane non, aut præcipitanter judicatam aggrediuntur. Exemplo nobis est ipse Adamus: Nam fructus ei porrigebantur, & ecce temerarie eos assumens edit, re aut plane non, aut pessime judicata, quod & ipse & posteri inevitabili experti sunt damno. Tranquillitate præterea animi perpetua gaudebat Adam (in integro nimirum statu adhuc vivens) in consideratione Numinis Divini semper occupatus valde eadem delectabatur. Qua in re non impeditur aut a vano gloria stimulo, aut a molesto res multas possidendi desiderio; sed omnia spernebat, solum DEUM amabat inq; deliciis habebat. Quod autem hac rerum felicitate non fuerit contentus causam fuisse ambitionem, minime putarim; Præcipitantiae potius & inconstantiae ejusdem velim adscribere: Atrogantia enim Adamo in S. pagellis, ut Diabolo, minime tribuitur, quod tamē re ita se habente sine dubio factum fuisse. Videmus vero Sanguineos præ omnibus animi tranquillitatem possidere eosdemq; semper esse animo quieto; nam non moventur a bonorum jauctura, honorum amissio eos minime perturbat: Placido potius & tranquillo manent animo. Dein aperte videmus neq;

Melan-

Melancholicos, neque Cholericos neque Phlegmaticos ad amorem DEI adeo facile posse converti ac Sanguinei, qui conversi ignei fere sunt in precibus ac cultu Divino, modo constantes essent; facile enim declinant, & in pristina abeunt scelera. Et nonne hoc ipsum in Adamo reperimus, quod non adeo diu in observando Divino mandato persistiter? Ut de præcipitania Sanguineis quasi propria nil moneam.

§. XV. Urgent tandem me ad hanc hypothesin duplices causæ non contemnenda & ex integratatis ac lapsus historia depromtae. Primo, Eva procreata erat ex Adamo, adeoque ad ejus habitum, ita, ut temperamento eidem æquiparet. Evam autem ad voluptatem præ alis inclinasse exinde patet, quod fructus aspiciens, eosdem suaves atque jucundos judicaret *Gen. III. vers. 6.* & hanc maxime ob causam ederet. Quod argumentum suo valore non caret; licet etiam cum L. Adr. Beveriando per arborem scientiæ boni & mali virilia Adami velis intelligere; attamen pro me pugnabit. Vid. *Idem in Diff. de Pecc. Orig. pag. 30.* Secundo sententiam meam probabiliorem reddit, quod DEUS Adamum in hortum collocaverit. Notum autem Sanguineos omnium lubentissime in hortis degere: Hinc Epicurus in iisdem habitabat, atque docebat. DEUS enim nobebat aliiquid decidere deliciis Adami: Hac itaque in parte quoque erat occupatus, ut elegantissimum (quod descriptio ejusdem docet) & amoenissimum extrueret hortum, inque eundem hominem poneret, omnemque DEUM admirandi ac laudandi occasionem hoc modo illi traderet.

§. XVI. Nemo itaque me redarguet, quod statuam: Adamum Sanguineo præditum fuisse temperamento, multo tamen aliter temperato inque excellentiori gradu posito. Nunc enim valde commixtum est modo cum terreis & ponderosis particulis, modo cum acribus & biliosis, modo molestæ ei sunt particulae pingves & oleofæ, modo præ nimia aquæ quantitate suppressum quasi est & onustum. His autem particulis in tanta copia minime permixtum, & ita liberum quasi

ac alio modo alteratum, Spirituorum ac vegetum, excellentissimum sane fuisse temperamentum, & summam DEI perfectionem exinde cognovisset homo, ipse felicissime vixisset, omnia clare percepisset, legitime, modo voluerit, judicare potuisset, D E O unice delectatus fuisse, tranquille degisset, sanus extitisset, quietem & virium per somnum restorationem non adeo anxie desiderasset, nunquam enim tantam lasitudinem contraxisset, propter perpetuam particularum Spirituorum & subtiliorum praesentiam uberiorem; hinc nullos curas set labores, eosdemque lubentissime aggressus fuisse; nullique morbi propter elegantem admodum eucrasiam & simpliciorem Sanguinis constitutionem locum invenissent, sed semper idem i. e. sanus permanisset homo, nulli adfuisse affectus modum excedentes, & quae sunt coetera per lapsum amissa.

§. XVII. Nolo tamen neque valeo eruditorum ulli meam obtrudere opinionem, nec eam pro summe probabili venditare. Sufficit, quod cum omnium consensu scintiliulae imaginis Divinæ relicta manferint, illas querere, & quoad temperamentum in Sanguineo probabiliter invenire. Fxit DEUS, ut omnes ac singuli integri status temperamentum olim recuperent. Benevole interim haec H. L. accipias, quae varia inter ea que molesta, corpore præcipue a morbo gravissimo nondum satis respirante, conscrispimus negotia; concedente Summo omnium rerum Largitore Sanitatem (quam humili me precamur) atque vitam, ea melioribus & utilioribus compensatur:

Allicit enim hominum animos seria jucundis miscere dicitur
nequa. DEI autem misericordissimi clementia atque
Providentia nullus fit

F I N I S.

